

sit Milevitana, ab Episcopo suo, venerabili fratre meo, Severo, qui tuam mecum sincerissimam Dilectionem multum salutat, per Hippo-
nem regium, ubi ego sum, transire jussus est: quia, cum forte simul esse-
mus in magnis Ecclesiæ tribulationibus & perturbationibus, quæreba-
mus occasione scribendi ad Eximietatem tuam, & non inveniebamus.

Jam quidem unam epistolam miseram in negotio sancti fratris
& collegæ mei, Bonifacii, Episcopi Cataquensis: sed nondum ad nos
pervenerant graviora, quæ nos vehementius agitarent; quibus com-
primendis vel corrigidis quemadmodum meliore, secundum Christi
* viam, consilio * succurratur, commodiùs Episcopi, qui propterea na-
vigaverunt, cum tanta benignitate tui cordis acturi sunt, qui potuerunt
communi consilio diligentius deliberatum aliquid ferre, quantum
temporis permittebat angustia. Illud tamen, quod animum clementis-
simi & religiosissimi Principis erga Ecclesiam provincia noverit, nul-
lo modo esse differendum; sed etiam antequam Episcopos, qui profe-
cti sunt, videoas, quam primum tua præstantissima pro Christi membris
in tribulatione maxima constitutis vigilantia potuerit, accelerandum
suggero, peto, obsecro, flagito. Neque enim parvum in his malis fo-
latum Dominus obtulit, quod te voluit multo amplius posse, quam
poteras, quando jam de tuis multis ac magnis operibus bonis ga-
debamus.

Multum sanè de quorundam, neque paucorum, fide firma & stabili
gratulamur, qui ex occasione legum ipsarum ad Christianā religionem,
vel catholicam pacem, conversi sunt, pro quorum salute sempiterna nos
in hac temporali etiam periclitari delectat: propterea enim maximè
ab hominibus nimium durèque perversis nunc inimicitarum gravio-
res impetus sustinemus, quos nonnulli eorum nobiscum patientissime
sustinent: sed * plurimum infirmitati metuimus, donec discant & va-
leant, adjuvante misericordissimâ gratiâ Domini, seculum præsens &
hominum diem robore cordis valentiore contemnere. Commoni-
torium, quod misi fratribus Episcopis, si, ut puto, nondum ibi sunt, ab
Eximietate tua illis tradatur, cum venerint. Tantâ quippe tui sincerissi-
mi pectoris habemus fiduciam, ut, adjuvante Domino Deo nostro, non
solum impertitorem auxilii te velimus, verum etiam consilii parti-
cipem.

EPIST. CXXX.

Augustinus Cirtenibus, à factione Donatistarum conver-
sis ad Ecclesiæ catholicæ societatem, gratulatur; admo-
nens, ut ex animo faciant, quod faciunt, & in eo persistant.

Domini

644.
* Al. mis-
ericordiam
* Al. con-
sulatur

*f. pluriū